

9.— Die IX<sup>a</sup>, quae erat Ascensionis Dominicae, Dominus noster summo mane missam celebravit. Quesitum est carnibus ad conficiendum prandium et non erat. Ideo equis ascensis hinc recessimus. Igitur planiciem nostram denuo intrantes duabus magnis leucis peractis pervenimus ad locum qui dicitur Villard, illic pransuri sed nichil invenimus neque esca nec ignis nec ligna. Prandio facile collecto cum superantibus fragmentis illius, verentes ne quod invenit accideret consilium factum est probissimo ut emeretur et deferretur capreolus ut si forsan sero nil inveniretur comedendum paratum iam esset inventum. Ergo equos ascendimus plurimum indigestione montium vexatos ac etiam aquâ illa cisternali Montesiae frigidissima infrigidatos et debilitatos. Plana ergo via et regione misera et infertili venimus ad civitatem vocatam Sichila. Sunt bene quatuor maximae leucae. Vocatur civitas non quod habeat episcopum speciale locus ipse, sed proprio more fit. In ipsa civitas inventum est unum hospitium solum nichil aut parum valens. Unus solus homo in civitate panem vendebat et unus alius similiter vinum.

10.— Die X<sup>a</sup> mane fuimus extra villam sacrum audire in conventu fratrum predicatorum et postmodo hanc miserrimam civitatem exivimus et a culmine huius in planiciem campanicam latam descendimus ubi plana quidem via progressi pervenimus ad pulchrum et valde bonum burgum in media planicie situm nomine Alvoster. Illic bibimus bonum vinum et clarum quo hausto accessimus semper via regia et campania et tandem appulimus ad alium bonum et pulchrum burgum vocatum Genette in quo equi fuerunt bene (f<sup>o</sup> 29) tractati, nobis vero nichil inventum est. Pastis equis nobisque non cibatis, exivimus et via plagaque planissima venimus ad burgum dictum Onroch magnum. Hic fuerunt equi nostri patrio more satis bene pansati sed pro nobis panis et vinum solummodo sunt inventa. Itaque Dominus noster cum solo pane et vino cenam fecit. Et deinde super paleam, subtrata tantum culcitra, iacere et pernoctare compulsus est. Nos autem famuli famelici cum pulicibus et palea sepulti hac nocte fuimus.